EPISTOLA FAMILIARIS
ET
MONITORIA

Ad Eruditissimum Dominum

D. NICOLAVM DV BOIS

Theologum & Iurisconsultum


Sacrarum Litterarum in Academia Lovan. Regium

ET

PRIMARIVM

PROFESSOREM:

S. Petri Lovanii & S. Donatiani Brugis Ecclesiarum
Canonicum &c.



Eruditiſſime Domine,

Plurimi Diœceſeos noſtræ Gandenſis Presbyteri, ut ipſe meritò ſuſpicaris, injuſtitiæ ſuſpectum habuere proceſſum iſtum, Tuum dicam, an Illuſtriſſimi Epiſcopi noſtri? Sed melius & Tuum dicam & ipſius, utpotè qui Te Actore, aut ſaltem Actoris fautore & Advocato, imò Te & accuſatore & Judice, ab ipſo tantum eſt executioni mandatus, in Causâ DD. Ignatii Gillemans & Petri van Buſcum, Canonicorum & Reſpectivè Archipresbyteri, & Pœnitentiarii Eccleſiæ Gandenſis:

Et ideò certè, nec abs Re, proceſſus ille fuit juſtificandus à Te. Iuſtificationem itàque ampliſſimam exornaſti, quam Illuſtriſſimi Voto Diœceſanis Presbyteris deſtinaſti, verum hanc cum perlegi, ingenuè fateor, exclamare non deſtiti: incidiſti in foveam, quam immerentibus confeciſti.

Alexandri VII. Decretum adeamus: *Inſuper omnes, & ſingulos, qui contra Immaculatæ Conceptionis ſententiam quoquo modo directè, vel indirectè . . . ſcripto vel voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contra eam quicquam determinando . . . aut alio quovis excogitabili modo diſſerendo auſi fuerint, præter pœnas, & Cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubiacere volumus, & per præſentes ſubiicimus, etiam concionandi, & interpretandi facultate, ac voce activâ & paſſivâ in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione privatos eſſe volumus, nec non ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrere abſque aliâ declaratione.*

Nunc videamus an, & quis vel qui, aut Tu, aut DD. Canonici contrà Alexandri Decretum evidentiùs impegerit: horum alter ſcriptum hoc edidit: *v. g. Myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis; quod quidem ob multas rationes ſuſtinetur ut verum, ſed defectu Scripturæ & traditionis de fide eſſe non poteſt.* Idipſum alter tanquam Cenſor, ut non repugnans fidei, aut bonis moribus approbavit, & uterque fatetur.

Dixiſti & Tu ad quæſtiones theoricas & practicas in Actus Apoſtolorum pag. 176. *V. g. quamdiu nihil apertius ab Eccleſiâ circa D. Virginis Immaculatam Conceptionem definitum eſt, licet*

(cum limitatione tamen) in privatis colloquiis adverſus *illam diſſerere. Qua de re videri poſſunt Conſtitutiones Pauli V. data anno* 1617. *S. Congregationis data anno* 1622. 24. *Maii. Gregorii XV. eiuſdem anni, & noviſſima Alexandri VII.*

Vidi ego Conſtitutionem Alexandri VII. & vidiſti mecum; quid Tibi modo videtur de Te? An non Tu ſcripto & voce contra Immaculatam Conceptionem diſſeruiſti, qui diſcipulos Tuos contra illam ſaltem privatim loqui, & diſſerere, in Scholis publicè docuiſti? An non aliquo excogitabili modo in Alexandri VII. Bullam impegiſti, qui poſſe hoc tutò fieri, edito Libro defendiſti? Quis auſit ambigere? Quâ igitur fronte publicè legis, doces, interpretaris? Imò quâ præſumptione Librorum Cenſorem agis, ad cenſoratûs electionem inhabilis, utpotè à tanto jam tempore voce activâ & paſſivâ in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque aliâ declaratione privatus?

Audio Reſpondentem te, id ipſum dicto libro pag. 217. per te revocatum, ubi dicis; quod *poſt impreſſam quæſt.* 43. *intellexeris eam S. D. N. Alexandri VII. in noviſſima Bulla circa Immaculatam Conceptionem fuiſſe ſententiam, ut modò Dominicanis non liceat ampliùs in privatis colloquiis contra eam loqui, vel diſputare:* Verum ſuppoſitâ ex integro revocatione tuâ (quam tamen non ſubeſſe illicò demonſtrabo) an ideo cenſuram effugiſti? Minimè verò: nam ut tu quidem in reſponſione ad tertiam quæſtionem §. *& ſufficit*, dicis: *ſufficit ad incurſionem pœnæ, quæ infertur eo ipſo, quod quis contravenerit; in hiſce enim caſibus, ut loquitur Lex* 65. *ff. de furtis: pœnitentiâ nemo deſinit eſſe nocens. Quod & in materia cenſurarum habere locum, quoad forum externum docet textus, in c.* 28. *de ſententia excommunicationis.* A Sancta igitur Sede (etiamſi etiam revocaſſet) deberet D. Tua ſecundùm admonitionem ſuam ibid. § *dudum.* DD. Canonicis factam, ſupplicare pro rehabilitatione.

Non tamen ex integro revocaſſe Te, ſic demonſtro: dixiſti illimitatè pag. 176. *Licet (cum limitatione tamen) in privatis colloquiis adverſus Immaculatam Conceptionem diſſerere.* Paginâ verò 217. (trimeſtri fortaſſe poſt priorem impreſsâ & editâ) intellexiſti eam S. D. N. Alexandri fuiſſe ſententiam ut modò

Domi-

Dominicanis non liceat amplius in privatis colloquiis contra eam loqui vel disputare. Verum cum ibidem non intellexeris eam fuisse Alexandri sententiam, ut modò *nemini* liceat, sed tantum ut *Dominicanis* non liceat; sequitur voluisse Te adhuc aliis omnibus licere, *Dominicanis* exceptis: adeoque nec revocasse.

Instabit quis, si *Dominicanis* hoc Pontifex interdixit; omnibus utique interdixit. Legitimam illam esse consequentiam, supposità præsenti materià, ego quidem non inficior, sed hoc latere Te, meritò crediderim: aut si in corde novisti, saltem in Libro Tuo ignorasti, quod, ut censuras incurreris, omninò sufficit, nam ad hoc non videndum quid Tu intenderis, *sed solum hic venit inspiciendum, an ea quæ in Libro Tuo posuisti, an inquam iuxtà communem eorum significationem, & prout legenti, ac latinum intelligenti sonant, non contineant aliquid contra sententiam Immaculatæ Conceptionis*, uti latiùs ipse deducis in responsione ad excusationem DD. Appellantium §. *neque refert*, & sequentibus, aliisque locis.

Jam Te videre crediderim, Eruditissime Domine, quam injusta sit justificatio Tua, cujus medietas ferè responsionum in eo est, ut probes notorium esse unum DD. Appellantium fuisse instructionis Authorem, alium Censorem, item ut probes quod ubi delictum est notorium, ad decernendum in aliquem citatione non sit opus, quod neutrum unquam negatum est: ut quid igitur tam operosa & anxia eorum probatio? Totque Canonum, legum, & particularium super illo negotio sententiarum citatio? In eo vero (ut mihi quidem, aliisque præjudicio vacuis visum est) totus potius esse debuisses, ut probasses, quod DD. Appellantes notoriè per scripta sua contravenerint Bullæ Alexandri, quod nec Tu, nec mortalium aliquis facilè præstiturus.

Nam id impossibile esse præstitu Tu ipse novisti, cum ad hoc ipsum probandum ne vel leviori aliquo argumento usus fuisti: & certè cuilibet Bullam, & instructoris verba intuenti, tam certum est hunc in illam non impegisse, quam quod certissimum. Dicit Pontifex: *qui hanc sententiam ... in disputationem revocare, aut contrà eam quoquo modo . . . loqui, concionari, tractare, disputare . . . ausi fuerint, præter pœnas &c.* dicit instru-

ctor quod *Mysterium illud ob multas rationes sustinetur ut verum:* Non igitur aliquo modo sententiam illam, aut illius veritatem in disputationem revocat, aut contra eam disputat, cum omninò veram esse supponat: sed definibilitatem dumtaxat negat, quod faciendo nihil prorsus contra eam etiam *definibilitatis ejus examinandæ prætextu* asserit, non magis quam ille, qui hanc sententiam veram dicit, sed definitam negat, qui tamen indubiè à Bullæ fulmine est immunis, licet aliquo sensu verum sit, quod talis aliquo excogitabili modo contra Immaculatam Conceptionem disserat.

Visis his in Tuâ hic Te causâ judicem constituo virorum Juris-consultissime: ingenuè, amabo Te, fatere nobis, quis indubitatiùs in Bullam S. D. N. Alexandri VII. impegerit, an Tu cum Libri Tui Censore, an Instructor cum instructionis approbatore? Rubore perfusus siles, sed silentium edicit sententiam; *In quo enim alterum* injustè *judicas, te ipsum* justè *condemnas.* ad Rom.

Et ut ex abundanti videas in dicto processu temeritatem Tuam, noveris Innocentium X. multò, in exemplo quod profers, prudentius, multo mitius, & Canonibus multò conformius processisse. Notorium erat Eximium D. Jacobum Pontanum considerationem Rithmicam approbasse, notorium quoque est, D. Ignatium Gillemans instructionis fuisse Censorem. At quid cum Pontano Pontifex? Ob eam causam *suspendit ipsum ab officio Apostolici Librorum Censoris, donec per alias pænas in Bullâ contentas contra ipsum procedatur.* Quid verò hic Gandensis Episcopus, aut potius per Episcopum Dominatio Tua? Non suspendit ipsum à Censoris officio, donec ad pænas in Bullâ contentas procedatur, sed ocyùs ad pænas ipsas, nullo servato juris ordine, quinimò omni justitiâ reclamante: attento quod si evidenter falsum non sit Authorem instructionis in Bullam impegisse, ejusque pænas incurrisse, tamen dubii limites non excedat. Quo casu ordo judicialis servari debuit, accusatores comparere, personæ citari, ad defensionem induciæ dari &c. quorum omnium defectu, Decreti illius dati 29. Aprilis 1672. nullitatem videt, quisquis justè videt.

Vides, Eruditissime Domine, quàm parum attenderis quid

S. Sedes sentiat (quod datâ tamen operâ inquisivisti) de Censoribus, qui contra expressas de aliquâ materiâ scribendi prohibitiones factas, libellos approbant? Etenim si melius attendisses, non ità, ut facis, de Censoribus qui non contrà expressas prohibitiones factas, sed ut summum contrà dubias, libellos approbant, sensisses: verùm (cum etiam rigorissimus esses) non ulterius, quam Summus Pontifex processisses.

Hæc sunt Cathedralis & Insignis Ecclesiarum Canonice, quæ ad justificationem Tuam annotata Tibi transcripta volui, ut videas quam prorsus sit necessarium, ut, quod apud Te justum est, justificetur adhuc: egò interim rogabo Altissimum, ut qui Illustrissimi Domini nostri consiliarius es, ejus etiam Ecclesiæ non fias Canonicus, ne DD. Canonicos Archipresbyterum & Pœnitentiarium ad vocem activam & passivam in Capitulo contrà propriam sententiam admittere compellaris. Æternùm manebo

Eruditissimæ Dominationis V.

Humillimus Famulus

V. L. Q. Presbyter Gandavensis.

POst datam, hæc à quodam meo familiari Con-Presbytero ad manus meas appulit: ... *Scis quam importunè me iam hebdomadis aliquot sollicitarit D. N. Amicus meus non magis quam Tuus, ut stolido isti Regg. 8. Examinatori Theologo Respondeam iuxta stoliditatem suam, ne sibi aliisq; qui consilio ipsius in rebus arduis tam confidenter utuntur, sapiens videatur. Inamœnum laborem hactenus declinaveram, allegans me primum esse non velle qui stolidissimo Capiti responsum irem, cuius scripta suâ insulsitate & dignâ talibus* Noctuis *obscuritate nunquam à quopiam quantumcumque sollicitato adversario id honoris tulerunt. Tutus videbar hoc umbone tectus, multò magis cum renunciarent aliqui iussam esse Româ partem utramque iurgiis hisce litterariis supersedere. At ecce clypeum illum meum duplicem telo transfossum unico. Mittit ad nos Illust. D. Episcopus noster libellum cui (dubium est ipsene an D. du Bois Lovan.) titulum dedit* Justificatio Processus &c. *mox subsequitur scedion (ita melius quam Epistolam dixerim) à præfato Sollicitatore meo verba continens pene totidem* Eia! omnis subterfugiis Tuis via præclusa est. Accepisti *Iustificationem Processus* Illustrissimi nostri? Vides inde quam illi homines Re-

ligiosè

ligiosè stent prætenso à Te calami-stitio à Romanis indicto: vides in-
didem, si meis & N. nostri postulationibus obaudias, rem Tibi haben-
dam non esse cum *Noctuâ* quam & ego nunc quoque censeo responsum
non mereri; sed cum uno aliquo politioris litteraturæ & (qualis quidem
audit) emunctioris naris Theologo juxta ac Jurisconsulto N. D. B. siqui-
dem hic in suâ *Iustificatione* resolvit & sustinet libri cujuscumque errata
non in Authorem dumtaxat sed & in Censorem redundare: quapropter
opinor ipsum (nec enim potest aliter) paratum esse ut omnia quæ Pater
B. S. in suo *Examine* insanivit, quæque ipse non in *Iustificatione* sua laudat
tantum, verum etiam in recentis sui Censoratus primum specimen non
sine encomio approbavit, præstanda & velut sua defendenda suscipiat &c.
*Quid iam igitur ego amicis eiusmodi importunitatibus? Morem geram. Imperitum
Authorem & Censorem præcipitem unà adoriar, ambos non ad Theologiæ sed
Dialecticæ criterion citabo: honoris nimium faciat Sophistis qui ad altius ipsos
tribunal trahat ... Audivisti fortè quam malè conveniat* Examinatori *nostro
cum Politicis & Aulâ, ac quomodo his diebus inauspicatus ille iurium Cappa-
dociæ vindex &c. sed cum Te aliena non delectent etiam meritissimæ calamitates;
accipe letiora: Pomum istud Eridis, & tantorum iurgiorum causa*, Instructio
inquam, ad Tyronem *scitur Romæ Inquisitionem incolumis transiisse exposcen-
tibus nequicquam censorium calculum adversariis potentissimis.* Isthæc, Erudi-
tissime Domine, cum Tua intersit scire, Te celare non volui, ne minus
videar esse quam dixi supra &c.

FINIS.

